



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die nona Meditatio prima. De præcipuis mysteriis Passionis Dominicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

Dies nona.

Meditatio decima septima.

De precipuis mysteriis Passionis Domi-
nica.

PERACTA consueta oratione præparatoria,
præmittes Meditationi sequentia duo
præludia.

In primo tibi ob oculos pone Christum
à capite usque ad calcem plagis oblitum, &
sanguineis rivulis diffluentem, quam formam
præferbat, quando Pilatus Christum po-
pulo ad emollienda adamantina Judæorum
corda, & ad commiserationem flectenda, ex
altiori loco ostendit, simulque tibi imagi-
nare, te Patrem divinum his verbis te al-
loquentem audire: *Ecce homo, ecce Rex vester.*
Joan. c. 19. En caput, en ducem tuum, quem
sequi, en exemplar, quod imitari sta-
tuisti.

In secundo pete gratiam à Christo, ut
dolenti in suis doloribus condolere, cum
patiente pati, crucifixo in cruce configi, &
subinde etiam cum regnante regnare possis.
Si sustinimus, & conregnabimus. 2. ad Tim. c.
2. *Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum,*
ut sequamur vestigia ejus. 1. Petr. c. 2. *Poteris*
etiam

etiam ad Virginem & matrem dolorosam
vertere preces, & vota tua, eamque his
verbis alloqui: *Sancta mater istud agas, cruci-
fixi fuge piagas, cordi meo valide; tui nati valde-
vati penas mecum divide.* Et his ipsis utere pro
precibus jaculatoriis sæpius hoc manè re-
perendis. Hanc meditationem divides in
tria præcipua mysteria Dominicæ Passionis,
quæ sunt 1. Flagellatio. 2. Coronatio.
3. Crucifixio Christi.

Punctum primum.

Considera dolorem acerbissimum Christi
in atrio Pilati ad columnam flagellati: me-
riti acerbiter hujus doloris poteris ex tri-
plici hujus causa 1. ex causa principali. 2. ex
causa instrumentali. 3. ex causa materiali.

1. Causa principalis fuit Pilatus, qui
Christum jussit flagellari, quamvis Christi
innocentiam optimè perspectam habuerit.
Tres insignes injurias Pilatus intulit Christo,
quæ singulos flagellorum ictus vehementer
exacuebant: Prima erat, quòd Pilatus inno-
centiam Christi comparaverit malitiæ Bar-
rabæ latronis, & seditionis concitatoris,
quasi exiguum esset discrimen inter hunc &
illum, permittens pleno populi arbitrio,
quem placeret libertate donare, quem
morti addicere. Hæc tam palmaris injuria
comparationis nefandæ pondus flagellorum

X §

ictibus

ictibus addidit, nam carnifices in ea jam erant persuasione Christum esse reum, & malefactorem, Pilati quidem iudicio Barrabbæ æqualem, populi verò totius unanimi sententiâ. Barrabbâ longè deteriorem, & nocentiorum.

Similem injuriam tu Christo intulisti, eum non solum comparando cum vili creatura, sed etiam eidem postponendo, quando grave peccatum commisisti, eoque ejecto locum dedisti in corde tuo, & habitaculum dæmoni; hinc meritò contra te amarè conqueritur per Prophetam Isaiam c. 46. *Cui ase similastis me, & adæquastis, & comparastis me?* Nunc ergo Christum, Deum tuum præpone bonis omnibus, & agnosce, ac desiste errorem à te commissum, dum Christum bonis tam frivolis per peccatum postposuisti.

Secunda injuria intolerabilis à Pilato illata Christo, consistit in eo, quòd infami flagellationis poenæ eum adjudicaverit, quem agnoverat innocentem; & hinc etiam ex hoc capite flagellationis dolor auctus fuit, nam reo non modico solatio est scire, quòd juxta allegata & probata justè fuerit condemnatus; sed scire, innocentiam suam iudici fuisse perspectam, accusatores coram tribunali in iudicio nihil, nec minimum quid probasse, & tamen eos triumphare ob suam præpotentiam, ac violentiam, iudicem verò ex summa ignavia ipsis cedere. O
quans

quantum premit, augetque poenae acerb-
tatem.

Et hanc injuriam tam grandem tu quo-
que Christo intulisti, cum & tibi optimè
perspectum esset Christum omnibus rebus
amabilibus millies amabiliorem esse ex vili
ignavia tamen tentationis assultui cessisti, &
judicasti consultius esse, & æquius, huic ob-
sequi, & Christum offendere.

Tertium injuriæ genus, à Pilato illatum
Christo, erat, velle ac præendere, ut con-
demnatio ad dirissimam flagellationem etiam
inter favores ac gratias numeraretur à Chri-
sto, latè hiantes plagæ, inducti tergo san-
guinei sulci pro blanditiis haberentur. Di-
cebat & jactabat Pilatus, se potestatem ha-
bere Christum dimittendi liberum, vel cru-
cifigendi: *Potestatem habeo crucifigere te, &
potestatem habeo dimittere te.* Joan. c. 9. Nihilo-
minus ex commiseratione erga miserum inju-
stè condemnatum, ut probè noverat, an-
nuere, & permittere, ut mortis loco, quam
nullo modo merebatur, crudelissima flagella-
tione exciperetur. O quantum amaritudinis
hæc summa iniquitas & injustitia cruentis
flagellorum ictibus affuderit, pro quibus
tanquam beneficiis expectabantur, & exi-
gebantur debitæ gratiarum actiones, dum
interim merebantur severam, & justam à di-
vina Nemese vindictam.

Forsitan & tu huic non multùm dissimili-
bus injuriis Christum afficis: profectò

non

non multum ablueres, si Deo offerres sacrificia & orationes culpabilibus mentis evagationibus, vel intentionibus infectas, eo ipso tempore & modo eum offendendo & exasperando, quo mitigandus, placandus & debito honore afficiendus erat: hinc contra te & tui similes lamentatio illa Malachiae c. 1. *Offeritis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? Dicitum hoc dilucidat S. Hieronymus: polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigne accedimus ad Altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.*

En honorem, quem Christo exhibuisti, si unquam peccato gravi infectus sacrificium incruentum obtulisti: sordibus opplevisti mundissimum, & immaculatum Christi corpus, ita enim loquitur Scriptura: *coinquinabar in medio eorum.* Ezech. c. 22. Fores enim vero propter tale peccatum non minus reus, quam ipse Pilatus, nam reus fores Corporis & sanguinis Christi: *Reus erit Corporis & sanguinis Domini.* I. Cor. c. 11.

2. *Causa instrumentalis flagellationis Christi Jesu fuerunt carnifices, qui mandatum impii & iniqui iudicis executi sunt. Hi quoque flagellationis dolores auxerunt supra limites alios praescriptos. Imprimis insolitus fuit numerus tortorum, fuerunt enim horum triginta paria, prout S. Mariae Magdalenae de Pazzis revelatum legimus, qui vices mutabant, ita ut bini binis succederent,*

rent, cruento labore jam fatigatis, re-
& viribus integri.

Deinde ob horum tortorum crudelitatem,
erant enim homines robusti, efferi, à te-
neris fundendo sanguini humano assueti, fu-
rorem & sanguinis sitim adhuc magis accen-
debant suis instigationibus dæmones; acce-
debat Pilati mandatum, qui volebat Chri-
stum enormi flagellatione ita deformari, &
excoriari, ut sufficeret ad saxea Judæorum
corda etiam solo primo intuitu commoven-
da, & ad teneritudinem inflectenda, acce-
debat tandem etiam Phariseorum ardens in-
vidia, & rabies, qui cum timerent, ne post
exantlatam flagellationem Christus à Pilato
liber dimitteretur, promissis & largitioni-
bus liberalibus carnifices ita accendebant ad
tamdiu sæviendum in Christum, ut Christo
referendæ verberum, & plagarum acerbitati
jam impari spiritum eliderent, & animam
extunderent.

Tertiò tormentum flagellationis auxit fla-
gellorum, quæ adhibebantur, diversitas, qua-
les erant virgæ oblongæ, flexiles ac lentæ,
funes in nodos contorti, nervi bubuli, pon-
derosæ catenæ, funiculi conglomerati, &
inferius ferreis stellulis, uncinis & calcari-
bus armati, qui cutem perforantes, eam
scedè lacerabant, & violentia summa retra-
cti ipsam carnem frustatim discerpebant, &
in aërem vibrabant.

Quartò

Quartò flagellationem fecit duriores in-
gens numerus verberum, & ictuum cru-
entorum nullatenus intra limitem à lege præ-
scriptum, ne quadragesimum excederet,
restrictus, sed millenarium excedens. S.
Bernardus numerat horum sex millia, sex
centum, & sexaginta sex. S. Vincentius
Ferrerius numerat ictus octingentos, viginti
octo, qui omnes solis nudis, pelle, & carne
jam spoliatis ossibus inflictis fuerint.

Sed neque intra hos limites se coërceri
permisisset efferata tortorum rabies, nisi
Porphyrius miles, prout in revelationibus
S. Birgitæ narratur, ad teneritudinem &
commiserationem tanta crudelitate permo-
tus, funes, quibus Christus columnæ ad-
strictus hærebat, diffecisset; unde Christus
viribus & sanguine ob tantam lanienam ex-
haustus concidit in sanguine suo naufragus;
quinimo, ut S. Augustinus adjungit, tot
laniensis & carnificinis, tanta sævitie nec-
dum satiata tortorum ferina crudelitas, quam-
vis miserrimè laniatum, defœdatum, terræ
afflictum, & sanguini suo innatans corpus
commiserationem aliquam extundere de-
buisset ab his tigrilibus, novam, & priori-
bus non inferiorem verberum grandinem su-
per jacentem in terra Christum novo impe-
tu & furore effuderunt, & super dorsum
ejus fabricaverunt. Si te non moveat ad
lachrymas spectaculum tam lachrymabile,
aut fide, aut pietate & corde cares.

3. *Causa*

3. Causa materialis flagellationis fuit totum Corpus Christi, cujus tenerrima compages acerbiter doloris ex flagellatione percepti vehementer auxit. Erat hoc sanctissimum Corpus, opus & artificium propriis ut ita dicam manibus à Spiritu sancto tanquam omnium peritissimo architecto, & artifice formatum, ad omnem perfectionem ex Virgineo purissimoque sanguine Mariæ matris divinæ elaboratum, & numeris omnibus absolutum, eum præcipuè in finem, ut quàm aptissimum esset ad patiendum, ad perferendos dolores & cruciatus imensos. Hinc si consideremus artificem, qui Christi corpus formavit, materiam, ex qua illud formavit, finem, propter quem illud formavit, sufficientia habemus argumenta concludendi, illud fuisse tenerrimum, & delicatissimi sensûs. S. Bonaventura hujus opinionis erat, Christi in pedibus alioquin callosam duritiem delitantiorem, & sensibiliorem fuisse, quàm apud nos sit tenera oculorum & pupillarum compages. Unicus minimus culex, qui tenuissima sua proboscide perforet palpebras, & ad pupillam oculi penetret, quanto nos dolore non afficit, ut siderati circumcursemus, parietes feriamus, & imbrem integrum lachrymarum spargamus.

Perpende jam, quàm acrem dolorem senserit Christus ex tot, & tam crudis ictibus, tanta

tanta vi, & tanto furore a lacertosis tortoribus tam delicato infligitur corpori, cui si teneritudo nostrarum pupillarum comparetur, hæc omni carere sensu, & sensibilitate judicanda sint. Pone tibi ob mentis oculos Christi corpus non jam vulneratum, sed unum & merum vulnus à planta pedis usque ad verticem capitis, d'fluere ex omni parte sanguineis rivulis, sanguine tinctam columnam, sanguine natans pavementum, sanguine maculatas vestes carnificum, sanguine aspersos parietes etiam remotiores. Hæc tibi debebantur ob tua delicta: *Multa flagella peccatoris.* Ps. 31. Et tu nihilominus audebis Christo nova infligere vulnera, & antiquis addere per tua peccata?

Vidit in extasi B. Catharina Genuensis Christum flagellis concisum, ad quod spectaculum attonita altum exclamavit: *amor meus! nullum amplius peccatum.* Hunc fructum & tu ex hoc primo meditationis puncto collige, & cum S. Augustinus doceat, flagellationis pœnam Christo fuisse infligtam ad placandam Divinam Nemese nostris peccatis sensualibus irritatam, in unum hæc collige fascem accumulatum, in cibo & potu intemperantiam, in somno, in lusu varios excessus, supinum otium, fugam laboris, & studii in tuo officio, horrorem pœnitentiæ, afflictationum corporis, & his similia; subinde projice hunc fascem ad pedes Christi flagellati, demissè rogans, ut has maculas
tuas

tuas omnes suo sanguine Divino eluat, simulque serio promittens, te omnem curam & conatum adhibiturum, ne impofterum te unquam similibus sordibus te inquinēs.

Punctum secundum.

Confidera, quantum doloris, & ignominia Christo attulerit spinea corona; doloris, quia erat spinea, ignominia, quia erat corona.

I. Tormentum sive dolor coronationis spineæ ex diversis causis fuit ingens, & consideratione speciali dignissimus ob atrocitatem, ob durationem, ob novitatem.

i. Fuit tormentum atrocissimum, nam corona erat potius pileus, & tegumentum capitis, quàm corona, quod potius tegeret, quàm cingebat, nec erat ex communibus spinis contexta, sed ex oblongis & auctis implexa juncis: & hæc horrida castis capiti tam altè fuit impressa, & immersa, ut usque ad medietatem frontis penetraverit; ita legimus in revelationibus S. Birgittæ. Ex his spinis & juncis duriores, & longiores ipsum perforarunt cranium, sic contemplatur D. Laurentius Justinianus; alii fragiliores in ossa impacti dissiluerunt, & fragmina carnibus hæserunt infixæ; alii adhuc virides, & flexiles proruperunt per perforatas aures, & tempora, ita puncturâ unicâ duplex vulnus infligentes.

Y

Nec

Nec tamen saxea tortorum pectora emolliit tanta sævities. Aliqui ex hac turba sonantes Christo infligebant alapas, alii ex mento & barba pilos evellebant; alii cannis ac fustibus tundeant ejus caput, alii ferreis induti chirothecis coronam spineam tota vi profundius in caput deprimebant. Unica spina calloso leonis pedi infixam, cogit hanc bestiam in horrendos prorumpere ejulatus, & montes valesque implere rugitibus; quem ergo dolorem senserit Christus ex septuaginta & pluribus non duro pedi, sed capiti infixis, membro inter omnes externas corporis partes delicatissimo, in quo natura omnes quinque sensus tanquam in throno regio collocavit, unde omnes nervi per totum corpus diffusi, reliquo inferiori membrorum gregi aliquid vigoris, & sensûs dispensat. In his spinis doloriferis considera fructus, quos terra tua divino Agricola protulit: *tribulos & spinas germinavit.* Gen. c. 3.

Tu gloriaris, quòd membrum Christi sis totius Ecclesiasticæ Capitis, & es etenim speciali modo tanquam sacerdos & vir Ecclesiasticus super turbam omnium reliquorum fidelium evesctus: sed meminisse oportet moniti à S. Bernardo dati: *non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum.*

2. Tormentum hoc, non sicut reliqua omnia, saltem brevitate doloris fuit mitigatum, inimici enim Christo nec id leniminitè indul-

indulserunt, ut coronam ex capite vel tantillum detraherent, sed hanc ferre coactus fuit non solum in atrio Pilati, & per plateas urbis Hierusalem, sed etiam in monte Calvariae, in ipsa cruce usque ad ultimum halitum, ut ita dolor hic & durus esset, & diu duraret: nec ob diuturnitatem tanti doloris unquam aliquid de patientia sua perdidit vir dolorum Christus Iesus ad confusionem tuam, qui levissimo dolori statim succumbis, praesertim si aliquantò diutius durat.

3. Atrocitati, & diuturnitati poenae accedit novitas, cum ad illud usque tempus nemo tali poena fuerit affectus. Senecæ sententia est, omnes hujus vitæ miseras comparative tantum magnas vel parvas, longas vel breves esse: *est miser nemo, nisi comparatus*: sed rem melius cepit Jeremias Propheeta, dicendo, tunc miseras ad supremum ascendisse apicem, quando miser nullum invenit tam miserum, cui se possit comparare: hinc in miseriis & ruinis, quibus urbs Jerusalem obruta fuit, praevicens, & sibi praefigurans miseras ac tormenta, quibus Messias onerandus esset, in hos gemitus erupit: *Cui comparabo te, cui assimilabo te, & consolabor te, virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.* Thren. 2. Dolor tuus ô Christe similis est mari, quod sibi simile non habet: nullibi invenio proto: ypon.
 Y 2
 cujus

cujus eētypon sit hic dolor, nec eētypon
aliquod, cujus prototypon sit hic dolor.

Quòd si tu esses peccator novæ inven-
tionis & artis, juxta modum & genium
moderni temporis, qui novos & hæctenus
non usitados excogitaret modos suis indo-
mitis satisfaciendi concupiscentiis, & pro-
pensionibus, vestium luxum, aliásque pom-
pas viris Ecclesiasticis hæctenus inusitatas,
nova obsonia, pretiosa, & ingeniosa jul-
cula, peregrina ciborum condimenta nequi-
dem Apicio olim nota, ut gula & ingluvies
magis irritetur, non ut fames satiatur, ex-
cogitaret, qui novas, dolosas & captiosas
adhiberet praxes, novos titulos, novos præ-
textus & jura erueret, ad emungendos sub-
ditos & aliorum crumenas evacuandas,
novas technas, novas machinas, novos
arietes admoveret pudicitiz, & innocentiz
expugnandæ, considera, quàm bene & belle
inter se pugnant amor Christi, & tua stu-
diosissima malitia: ille sollicitè quærendo novas vi-
as & modos plura pro te patiendi, tu sollicitè
quærendo & indagando novas artes, & in-
dustrias graviùs, & atrociùs illum offendendi,
& cruciandi.

Finiatur tandem hæc tua detestabilis con-
tentio & pugna, & mutetur in contentio-
nem aliam, & meliorem. Si Christus con-
tensus non est ad contestandum suum erga
te amorem sufferre tormenta, & cruciatus
ordinarios, & usitados, sed alios extraor-
dina-

dinarios novæ & ingeniosæ inventionis desiderat, tibi vicissim satis non sit, ut huic amori amore, & vitæ sanctitate ordinario respondeas, sed anhela, & procura, ut mutuus & reciprocus tuus amor sit extraordinarius, desœcatissimus, & ardentissimus, vitæque tuæ sanctitas non vulgaris, sed eximia.

II. Corona spinea Christo non tantum fuit dolori, sed etiam probro & ignominia publicæ. Notari publica ignominia, eamque debere tacito stomacho concoquere, genus est martyrii secreti, quod nullam ciet apud alios commiserationem, nam pœna latet, & tangit vitam occultam, & absconditam, sed parit acriorem dolorem, nam tangit & afficit vitam longè delictiorem, & magis sensibilem; *nullus major labor, quam ferre irrisiones*, judiciô Senecæ: tanto igitur major esse debuit dolor Christi, quanto major fuit derisionis ignominia, quæ quasi in immensum crevit ex omnibus illis fontibus ex quibus ignominia aliqua crescere potest; fontes autem isti præcipuè ad hos tres revocari possunt 1. ad dignitatem illius, qui deridetur, & probro afficitur. 2. ad vilitatem deridentium. 3. ad derisionis & ignominia modum, sive qualitatem.

Derisus consideratus quoad dignitatem suæ personæ erat æterni Patris filius, huic consubstantialis quoad naturam divinam; consideratus ut purus homo, erat quidem

pauper, nihilominus trahebat originem ex Regia stirpe Davidis, quin & Aaronis, ita ut in se splendorem Regum coronarum conjungeret cum sanctitate sacerdotali mitrarum, cum proximi ejus consanguinei Zacharias & Joannes in ordine sacerdotali prima occuparent subsellia: Ipsi derisores sciebant, quàm multa & magna patrasset miracula, à suis discipulis ubique stipatus & cultus, à populo, & sequacibus turbis æstimatus, & adoratus, nuperrimè, cum Hierosolymas ingrederetur, triumphantis more festivis acclamationibus, & plausibus solennissimè exceptus.

2. Derisores erant ex infima sæce plebis, calones militiæ Romanæ, adulatores Regis adulteri, venales omnis justitiæ corruptores, & emptitii omnis iniquitatis executores, subdoli & politici præsidis mancipia, vilissimi lictores, quos unica spes accipiendæ à Pharisæis largioris remunerationis ad excogitandum hoc novum ignominiosi tormenti genus ingeniosos fecerat.

3. Hæc derisio ludibrium erat infame, barbarum. Omnia quæ a l condecorandam, & augendam Regis aut Principis alicujus Majestatem spectant, mutaverunt in instrumenta ad augendam ignominiam. Pro throno Regio conscendere jubetur scabellum læcedum nonnihil altius, illique insidere nudus: non afferuntur insignia regia. Fru-
stum

stum detritæ & laceræ purpuræ, ut ita denotetur & explodatur paupertas sui principatûs ac regni, & hoc paludamento vestitur. Diadema ex spinis contortum, ut exprimat sterilitas suæ jurisdictionis: & hoc diademate coronatur. Sceptrum ex fragili arundine, ut præsentetur vanitas suæ potentia: & hoc ipsi in manus datur. Regi hac ratione coronato turmatim appropinquant effrontes scurræ, eumque ridicula adgeniculatione ironice adorant, tanquam homagium præstituri: *genus flexo illudebant*. Acclamant sonora voce amarò sarcasmò: *Ave Rex Judæorum*. Hic foetentia, & purulenta rheumata in ejus faciem eructat, alius eum alapis & colaphis contundit: *Conspuebant in eum, & dabant ei alapas*. Joan. c. 19.

Jesus interim tacet, & patitur: simul tamen tibi loquitur non voce linguæ, sed exempli loquacis tibi dicens: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*. Luc. 22. Pater coelestis disposuit, ut Christus adipisceretur coronam gloriæ per coronam spineam: pari modo etiam de te disponitur: an tu conqueri, & lamentari audebis? detrahe capiti Christi è cruce penduli coronam spineam, nidum illum dolorum, & ludibriorum, tuoque capiti impone, imprime adjungens: *adveniat Regnum tuum*.

Punctum tertium.

Confidera in crucifixione Christi pœnas corporis & afflictiones animæ.

1. Christus in Calvaria montem eluctatus à carnificibus mox arripitur, & summâ vi detractis vestibis, quæ coagulato sanguine è tot vulneribus profuo pelli & carni agglutinatae hærebant, spoliatur cum tam vehemente dolore, ut illum, quem in flagellatione senserat, adæquaret, vel superaret. Ad imperium carnificum dilaniatum, ac nudum corpus supra crudum crucis truncum extendit, manus pedesque distendit, & ad affigendos cruci ultrò, & promptè porrigit, se ipsum Divino Patri in victimam & cruentum sacrificium pro nostra totiusque humani generis salute offerens, eumque rogans, ut omnes pœnas quantumvis gravissimas culpis nostris debitas in se excerneret, & derivet: coronam spineam non tam fixè amplius capiti inhærentem, denuo toto conatu fronti imprimunt, & totum coronationis tormentum renovant: manus pedesque ut ad foramina crucis nimis invicem distantia pertingant, vi pertrahunt; arreptis malleis in altum brachia tollunt, & repetitis ictibus crassos, & obtusos clavos per manus pedesque adigunt, dilacerando, & discerpendo carnem, nervos, venas, &
arte.

arterias, non sine intensissimo dolore. Sic crucis stipiti firmiter affixum in altum sustolunt, crucem in præparatam in hunc finem scrobem toto pondere dejiciunt, ut ita firmius & profundius in terram demergatur, quæ succussio omnia membra vulnerata, præsertim manus pedesque perforati immanibus denuo affecti sunt doloribus.

Christus hoc modo in altum sublatus non invenit, ubi caput reclinet, nisi super lacerata illud demittat brachia, & hoc novo pondere clamorum fissuras dilatet. Omnia diffluunt sanguine, caput spinis pertusum, manus pedesque clavis perforati, totum denique corpus ob atrocem flagellationem, & hanc per violentam vestium plagis agglutinatarum avulsarum renovatam, unum vulnus.

Si latronum crudelissimus tanta sævitie exciperetur, similibus tormentis afficeretur, ad commiserationem etiam ferreos animos commoveret: & tu ante oculos tuos cernens Christum Deum tuum è cruce pendulum, cruentatum, dilaniatum, potius spectrum hominis quàm hominem, in quo neque species neque decor, & quidem propter te, & tui amore, quin viscera tibi commoveantur, & vel minimam stillulam amoris & doloris indicem cor tuum marmoreum ex oculis protrudat.

Irascere, maledic peccatis tuis causæ unicæ immanis Deicidii: mille repende gratias

Y 5 Chri.

Christo JESU pro affectu & amore tibi in ipsa cruce exhibito, & demonstrato, mille ferventissima oscula imprime pedibus manibusque crucifixi Domini. Imaginare tibi, tecum Magdalena in monte Calvariae cruci affusum, ex qua Redemptor tuus pendens copiosum sanguinis imbrem in te depluat; hoc te lava, & omnes peccatorum turpes maculas ac sordes ablue.

S. Rosalix in speculo se contemplaturæ non vanitas proprii vultus, sed viva Christi patientis, & undique largo sanguine diffluentis imago objecta est: aspectus hic unicus eam vim habuit in Rosalix animo, ut totam se à mundi vanitatibus avulsam, totam Deo, pœnitentiæ, & austerissimæ vitæ dederit: offer & tu teipsum ad aliquid patientium, & tolerandum pro Deo, ad ferendam amore JESU tuam levissimam crucem; scito, viri Ecclesiastici esse, juxta gradum suæ dignitatis, agere & pati fortia ad lucrificiendas animas tam caro pretio à Christo redemptas.

2. Externis doloribus corporis longè majores, & acerbiores fuerunt interni dolores, & afflictiones, quibus anima Christi in immenso amaritudinum, & tormentorum mari submersa opprimebatur. Quocumque enim oculos in sanguineis lachrymis natantes circumvolveret, in novas afflictionum causas incurrebat; circum crucem videbat carnifices, infra crucem videbat suam

Matrem:

Matrem: supra crucem videbat iuum Patrem
cœlestem.

Carnifices sortem mittebant supra Christi
pauculas & tenues vestes quid quivis tolle-
ret; nec illos commiserationis sensus erga
ipsum doloribus oblitum tangebant, sed
potius hos, porrigendo ipsi in lon-
ga arundine ad restringendam acerrimam
suum fel & acetum, Judæis se associando,
sub cruce obambulantibus, Christum de-
ridentibus, falsis jocis, gesticulationibus, &
amaris sarcasmis eum arrodentibus augebant:
*Vah qui destruis templum Dei: si filius Dei es, des-
cende de cruce: alios salvos fecit, seipsum non potest.*
Matth. c. 27.

Has derisiones & opprobria mordacia
augebant duo nequam, sive latrones ob-
scelera patrata iuste ad mortem condemnati,
& circa ipsum ad geminandam infamiam
unus ad dextram, alter ad sinistram pari-
ter è crucis patibulo suspensi: omnes, qui-
cunque Christum in hoc ferali theatro con-
spicabantur, inde capiebant solatium, quòd
innumeris Christi jamjam exspirantis dolo-
ribus etiam publicum contemptum possent
adjungere: *omnes videntes me, deriserunt me.*
Ps. 21.

Concurrit 2. pariter sed innocentissime,
ad accumulandas internas animæ Christi af-
flictiones & æumnas ipsa ejus amantissima,
simul tamen afflictissima Virginea Mater:
quem dolorem, quale tormentum senserit
hoc


hoc par se invicem tenerrimè ferventissimo, & castissimo amore amantium, dum se invicem attonitis contemplantur oculis, amarissimè diffloentes lachrymis, sibi invicem valedicere, supremum dare, & accipere Vale!

3. Concurrit tandem & ipse Pater divinus relinquendo Filium voluntati suorum inimicorum, & subtrahendo ipsi penitus toto, quo torrens rapidissimus tot dolorum, tormentorum, & cruciatuum ejus Corpus & animam inundabat, tempore, quidquid solationum, ad tantam malorum magnitudinem, & multitudinem, non dicam tollendam, sed vel parùm mitigandam, & minuendam, desuper concedere poterat, & aliis Martyribus tam abundanter inter sua longè leviora tormenta tam abundanter cœlitus concessum fuerat: nimirum cœlestis Pater volebat, ut suus Filius pro salute totius generis humani amarissimum Passionis calicem non solum usque ad sæces sed uncum cum sæcibus usque ad fundum solus, sine ulla alicujus dulcedinis admixtione ebiberet, & exaniret.

Disce à Christo crucifixo perseverare in exercitio virtutum omnium etiam tunc, quando tibi omnis subtrahitur consolatio, & spiritualis dulcedo. Christus ex Cathedra crucis omnes te docet virtutes non tam verbis, quàm exemplis, Doctor eximius. Obedientiam te docet inclinato capite; pœnitentiam.

tentiam, lachrymantibus oculis; contemptum omnium dignitatum, & honorum, capite spinis coronato, patientiam generoso ad omnia silentio, sobrietatem, sitibunda lingua, amorem proximi, extensis brachiis, amorem DEI, transfixo corde, paupertatem, nudo corpore, mortificationem, vulneratis membris, perseverantiam, cruci infixis clavis, horrorem peccati, sua morte. Roga, & obsecra ut has doctrinas, has prælectiones tuo cordi profundè imprimat, & insculpat, quæ tanto illi labore & pretiò steterunt. Redde infinitas gratias pro omni eo, quod pro te pati dignatus est; prorumpe pari cum Paulo affectu in hæc verba: *Quis nos separabit à charitate Christi, quis?* ad Rom. 8.

Respice quæsumus Domine super hanc animam meam, pro qua Dominus noster JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormentum; qui tecum vivit & regnat &c.



Dies